



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Animam esse actum primum corporis naturalis, organici, potestate vitam
habentis, cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)



HIERONYMI DANDINI

CÆSENATIS E' SOCIETATE IESV,

In Aristotelis de Anima Libros Commentariorum

TOMVS II.

Qui secundi Libri interpretationem facit.

P R A E F A T I O.

M

AXIMA vita nostra pars, laborisque & industrie plurimum, quod ad scientias comparandas totum minime satis esset, in aliorum scriptis peruolutandis, examinandisque; sententiis consumitur. Vt vix facis temporis aut animi virium superfit, quo de singularum rerum natura & affectionibus maturo tadem iudicio decernamus. Sed qui aliorum volumina, quaeque ab illis pronuntiata fuerunt, non populari, sed artificis trutina penitauerit; & si quid minus verè ac sapienter pronuntiatum sit, certa & necessaria ratione confutauerit: verò non solum non inutiliter laborauerit, sed totum penè confecerit. Nam etsi quid quæ res sit minime scire is existimetur, qui nil aliud, quam quid ea non sit assequutus est: errorum tamen discussis tenebris facile illi fuerit veritatis lumen intueri. Dum igitur hactenus Aristoteles aliorum sententias, qui ante ipsum de anima philosophati fuerant, confutauit, hoc nobis praestitit, vt quid ea non sit intelligeremus; errorumque monstrauit capita, quæ in animæ natura peruestiganda vitare magno opere debeamus. Iam vero meliorem illius explicationem aggrediens quid tandem ipsa sit, quidque de ea sentire nos oporteat indicabit. Et quoniam antiquiores reprehendit, quod de omni anima loquuti non essent, neque vniuersam & generalem eius notionem aut assequuti ipsi fuissent, aut alii explicassent: eam ipse & curiosè peruestigat, & duobus reliquis libris diligenter exponit. Et ita exponit vt definitione primùm, & naturam omni animæ communem quærat & interpretetur. Deinde de illius facultatibus, quibus ad agendum vtitur vniuersè itè distlerat. Post ad singulas animæ species descendens, de vegetante primùm facultate loquatur, deinde de sentiente sensibusque, tum exterioribus, tum interioribus, ac demum de intelligente. Qua verò arte ac methodo in singulis, tum quærendis & assequendis, tum explicandis vtatur; suis locis appositè magis dicitur.

ANIMAM ESSE ACTVM
primum corporis naturalis organici
potestate vitam habentis.

CAP. I.

TEXTVS.

Tò πρῶτον δὲ ἴσως ἔσται ἀπορίας ἀποδοῦναι τὴν ἀνάγκην ἐπισημαίνουσαν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπορία, ἀλλὰ τὸ ἐπισημαίνουσαν τὴν ἀνάγκην, ὅτι τὸ πρῶτον ἐστὶν ἀπορία, ὅτι τὸ πρῶτον ἐστὶν ἀπορία, ὅτι τὸ πρῶτον ἐστὶν ἀπορία.

Quæ igitur à prioribus tradita sunt de anima, dictam textus est: iterum autem tanquam à principio redeamus, sententiam definire, quid est anima, & quæ vique sit communissima ratio ipsius.

COMMENTARIVS I.

ESSENTIAM & naturam anime definitione duplici nobis proponit. Altera vsq; ad tex. 12. altera ab eo loco vsque ad 27. His autem fermè verbis præfatur. Expositis & confutatis in primo libro his, quæ de anima ab aliis Philosophis ante nos dicta fuerunt: iam quasi redeuntes ad principium, & nunc primùm anime consideratione aggredientes, aliudq; contèplationis & orationis intuitu faciètes: siquidem nihil illi aptè & ad naturam eius accommodatè dixerunt. Aut ad principium redeuntes, hoc est ad entis diuisionem in decem genera, quam in anime definitionis inuestigatione primo loco posuerat in tex. 6. libri 1. & ab illa rursum facit principium in proximè sequentibus verbis. Nihil fortasse malis principium intelligere essentiam & definitionem anime explicandam, quæ affectionum omnium & demonstrationis cuiusvis ac scientiæ principium est. Ad principium inquam redeuntes adferre conabimur communissimam & generalem maximè definitionem, quæ anime omni conueniat. Ita enim & id præstabimus, quod ceterum

Ad di potest; ex non substantiis substantiam non fieri, ut in tex. 52. lib. 1. physic. ratiocinabatur philosophus: uiuentia autem & animata constare anima & corpore; quare si illa sint substantiæ, eorum quoque partes substantias esse oportere. Denique ea omnia, quibus in primo lib. physic. confirmauit duo principia substantialia rerum omnium natura constantium, materiam & formam; multo magis nunc possunt ostendere, animam in uiuentibus formam esse substantiæ, quæ illa simul cum corpore compositas substantias constituat.

Non ergo temerè & insipienter egit, cum animam esse substantiam probare prætermisit, sed aut tanquam manifestum accepit; aut tanquam id, quod facile demonstrari posset ex iis, quæ aliis in locis fuerant demonstrata. Fortasse etiam id tantisper distulit, ne rem eandem sæpius repeteret. Nam dum non multo post in tex. 8. & 9. ostendit eam esse formam ut quod quid est esse, hoc est essentialē talis corporis; perinde esse videtur, ac si substantiæ formam esse demonstrasset: Quare etiam in tex. 7. deducit, ex anima & corpore fieri unum perse. Quod nequaquam esset verum, si diuersi generis forent, corpus potestas in genere substantiæ, & anima actus in genere accidētis. Quoniam igitur uidit idem propemodum esse, animam esse formam substantiæ, & esse formam essentialē, illud interim accepit, ut postea simul utrumque probaret. Postremò uidit haud satis posse probari eam esse substantiam, nisi antea constiueretur qualisnam substantia esset. Propterea maluit diuisa prius substantia animam ostendere esse ut formam, deinde probare esse formam essentialē, atque ad animatarum rerum substantiam pertinentem.

Quoniam igitur anima est substantia, quærendum erat qualisnam substantia sit. Propterea diuisionem alteram subiungit; qua substantiam partitur in materiam, formam, & compositum. Siue quod animam constaret aliquid esse in uiuentibus & animatis substantiis, quas manifestum est esse compositas; & ideo animam oportuit aut substantiam esse compositam, aut compositæ substantiæ categoriam crederet ipse solis constare substantiis compositis. Ita. n. diuisio ente in decem genera, uniuersum subdiuidit substantiæ genus. Quod si scientiarum diuisionem dicas bimembrè esse oportere, aut diuisionem nõ esse respondebit, sed enumerationem potius diuersarum substantiarum; aut ad bimembrè facile reuocari in substantiam simplicem & compositam; simplicem uero aut potestatem esse aut actum. In qua diuisione materiam affirmat, si per se sola consideretur (si enim ut est formata spectetur, iam est hoc aliquid) non esse hoc aliquid, sed ad omnia potestatem quandam.

Materia duobus modis cognoscitur.

Quid sit. Hoc ali- Etenim materia duobus modis cognoscitur. Altero modo negatione, ut dicitur in tex. 24. lib. 10. metaph. & definitur in tex. 8. lib. 7. quia est ens imperfectissimum: atque hoc modo nunc dicitur non esse hoc aliquid. Formam interpretatur Philoponus. Sed melius Alexander in 2. lib. naturalium quaest. cap. 24. & Simplicius & Auer. substantiam formatam, determinatam, & perfectam, quæ seipsa subsistere ac sub sensum cadere possit. Sic enim significare uidetur Philosophus in tex. 69. li. 1. phys.

rum iniquens materiam non esse hoc aliquid, sed ita se habere ad hoc aliquid, ut se habet æs ad statum, & ad lectum lignum. Quo loco ipsemet Philoponus substantiam compositam interpretatur. Tameñ formam quoque addat posse intelligi, quia per formam fit substantia determinata & perfecta.

Altero modo cognoscitur materia affirmatiue aut per analogiam quandam ad res artificiatas, quemadmodum in eodem tex. 69. legimus: aut per ordinem ad compositum, cuius ea est pars. Quomodo in textu 82. definita est Primum subiectum, ex quo fit aliquid, ita ut insit, & in quod ultimum dissoluitur: & in tex. 28. lib. 2. Id, ex quo fit aliquid, ita ut insit. Aut postremò per ordinem ad formam, quam suscipit & cum qua coniungitur. Quomodo & in tex. 26. eiusdem 2. lib. affirmatur esse ad aliquid, nempe ad formam; & hoc loco dicitur esse potestas, nimirum ad actum, qui est forma.

Denique in hoc primo diuisionis membro adnotare libet, Aristotelem dixisse (aliud quidem esse sicut materiam) non similitudinem significando, aut exemplum proponendo; sed membrum potius diuisionis explicando. Iam uero alterum pronuncians membrum, ut materiam dixerat non esse hoc aliquid, sed potestatem: Ita formam addit esse id, per quod iam dicitur hoc aliquid: eamque esse actum, speciem, & perfectionem rei. Quare in tex. 81. lib. 1. physic. diuinum quid, bonum, & expectandum eam esse scripsit, quod materia uelut turpe quidpiam concupiscat. Et Themistius materiam prodidit esse uelut habilitatem quandam & apparatus procreandis rebus opportunum, formam uero apparatus huius absolutioem. Nam si consideretur per ordinem ad compositum, uerè est hoc aliquid, per quod dicitur hoc aliquid; quia compositum est hoc aliquid, quod per formam actuantem, determinatam, & perfectientem materiam constituitur. Ex quo intelliges minus aptè Philoponum hoc aliquid interpretatum fuisse formam. Si enim forma est id, per quod fit & dicitur hoc aliquid; manifestum est, hoc aliquid non significare formam, sed compositum & perfectam substantiam. Neque uero modo Aristoteli consentanea est illorum opinio, qui materiam principium esse dicunt, quo in diuiduum fiat indiuiduum. Is enim aperte dixit fieri per formam. Sin autem consideretur forma per seipsam, aut per ordinem ad materiam; appellatur actus, quoniam actuat & perficit potestatem materiam.

Tertium & ultimum diuisionis membrum est compositum, quod iam est & dicitur hoc aliquid: substantia scilicet perfecta & integra, constans ex materia & forma uelut essentia partibus. Itaque materia quidem sit potestas, & forma actus, compositum autem in actu per formam actum potestatem materiam actuantem.

Et hæc quidem sunt duæ diuisiones à Philosopho propositæ. Prior quæ est entis in decem categoriis; est superioris analogi in sua inferiora; aut eius, quod ab uno dicitur, in ea, quæ ita dicuntur. Posteriores quoque eiusmodi esse dixerim. Quoniam aut considerari potest sola substantia perfecta, quæ in recta categoriæ serie disponitur, genera cogens, species, & singulas res: hæc in categoriis di-

uisit in primam & secundam substantiam: Aut generalior spectari potest substantie ratio, quae incompleta quoque & dimidiata substantiae partes comprehendat. Hae enim ipse quaedam sunt substantiae. Atque haec substantiae ratio analogae est & ad vnum, quatenus de perfecta & imperfecta, integra & dimidiata dicitur. Nam ea, quae imperfecta est & dimidiata, propter perfectam est & integram, cuius est pars. Hanc nimirum diuisit hoc loco in substantiam perfectam & integram, quae est composita; atque in imperfectam & dimidiatam, quae est materia aut forma. Quare est substantiam eam diuiserit, quae genus quoddam est entis, eam tamen diuisit quatenus per se primum substantiae perfectae conuenit, quae per se in recta serie sub eo genere ponitur; & secundario, seu per ordinem ad illam, substantiae imperfectae, quae eodem reducitur.

Sola forma formans in intelligitur.
 Verum ut substantiam perfectam & compositam intellexit eam, quae per se ponitur in categoria: ita dum formam nominauit, solam formam formantem & dantem esse materiae, constituentemque substantiam illam compositam intelligi voluit. Hanc enim ob causam materiae dixit potestatem, & formam actum, nempe essentiali potestati illi respondentem. Et ideo formam appellauit speciem, qua fiat hoc aliquid. Sola enim forma formans facit vnum ens per se cum materia, quod in substantiae categoria ponatur. At naua cum nauis, aut quaelibet assistens forma cum eo, cui assistit, neque facit vnum ens per se, neque hoc aliquid: neque id, quod fit ex illis, per se ponitur in categoria; quia est ens ex accidenti: sed solum ratione suarum partium seorsim sumptarum. Quod ideo libuit adnotare, ut post intelligeretur, omnem animam, cuius diuisio ex hac definitione colligetur, formam esse formantem illius corporis, cuius est anima. Ceterum dum dixit esse actum, *Neque per se nominauit.* Quae vox magnam sane habet apud multos difficultatem. Sed quid tandem valeat, quamvis vim habeat, pluribus paulo post explicabitur.

Actus primus quid.
 Tertiam igitur diuisionem adiungit veluti antecedentis subdiuisionem quandam. Accipiens namque alterum diuisionis illius membrum, actum diuidit in actum primum, & actum secundum. Actus primus formam absolute, & per se consideratam significat, velut habitum. Exemplum adfert scientiam ex accidentium genere tanquam notiore & immediato principio actus secundi, qui in operatione consideratur: Omnis enim operatio immediate ab accidentibus velut substantiae formae instrumentis promitur. Ex quo intelligas, non solum substantiae formam, ut Philopono placuit, sed & accidentis posse primam entelechiam appellari. Nam & Arist. ex accidentium genere exemplum protulit: & illa quoque potestatem materiae quoquo modo actuat & perficit: ac demum operationis & actus secundi principium existit. Actus igitur primus est veluti scientia. Quia ut haec habitum quandam significat residentem in mente, qui vel dormientibus nobis, vel aliis sapere, est absque vlla contemplatione: sic actus primus formam absolute & absque operatione, sed solum in materia residen-

A tem, eamque actuantem & dantem illi esse significat.

Actus vero secundus est ut contemplatio: hoc est operationem indicat, aut formam potius operantem. Quod propterea dixi, quia si solam significaret operationem, significaret accidens, essetque haec diuisio in substantiam & accidens. Verum & accidentia omnia fuerunt a principio ab his diuisionibus repudiata, tanquam ad animae definitionem inuestigandam inutilia. Atque haec tertia diuisio, quaedam est secunda illius subdiuisio, in qua solus substantiae actus fuerat nominatus. Hunc enim rursus partitur in primum & secundum: hoc est in actum non operantem, sed solum dantem esse; & actum operantem quoque, qui sit velut scientia actu contemplans quidpiam. Atque hoc etiam cognoscitur ex text. s. vbi cum substantiam diceret esse actum, statim adiecit (hic autem dupliciter dicitur) & rursus diuidit eum actum, qui est organici corporis; quem constat esse substantiam. Vterque igitur substantia est: totaque haec diuisio eo spectat, ut intelligatur, qualis actus sit anima. Quare cum iam acceptum fuisset, eam esse substantiam, inutilis diuisio fuisset in actum substantiae & accidentis. At cum actus substantiae & sine operatione, & cum operatione considerari possit; diuidendus erat hic actus, ut intelligeretur, qualis actus sit anima.

B Porro alter horum actuum appellatur primus: tum quia actuat & explet primam materiae potestatem, quae est ad esse: tum quia prior est generatione, & alterius actus principium. Hic autem dicitur secundus: tum quia quaedam est prioris actus perfectio, siquidem operatio operantis formae perfectio est: tum quia est generatione posterior, atque a priore deriuatur. Actus primus vocitari solet habitus; propterea quod habeat esse firmum & persistens in subiecto, hocque absolute. Alter vero dicitur actus, quod in quadam duntaxat operatione consistat; statimque cum ea transeat.

Cur actus primus secundus dicitur.
 Cur actus primus dicitur secundus: tum quia quaedam est prioris actus perfectio, siquidem operatio operantis formae perfectio est: tum quia est generatione posterior, atque a priore deriuatur. Actus primus vocitari solet habitus; propterea quod habeat esse firmum & persistens in subiecto, hocque absolute. Alter vero dicitur actus, quod in quadam duntaxat operatione consistat; statimque cum ea transeat.



DIGRESSIO PRIMA.

De Natura formae & Materiae; deque voce,

actus primus.

ET haec quidem est huius contextus explicatio. Breuior omnino, quam ea postulabant, quae paucis verbis Philosophus complexus est. At commentarii ratio longiorem sermonem non patiebatur. Seorsim nunc pluribus explicentur. Ea tria sunt praecipua. Primum, diuisio substantiae in materiam, formam, & compositum. Alterum,